

www.e-rara.ch

Majestas Hierarchiæ Ecclesiasticæ

Daude, Hadrian

Bambergæ, 1760

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 78 | G - Rp 79 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62668>

Sectio II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECTION II.

DE

EPISCOPIS GERMANIÆ,

EORUMQUE

ORIGINE, INSTITUTIONE,

SACRO & POLITICO PRINCIPATU.

S U M M A.

1. *In tribus primis seculis obscuriora quædam initia fuerunt Ecclesiarum per Germaniam.*
2. *Quis Ecclesiarum Teutonicarum Status à Constantini M. ætate ad Carolum M.*
3. *Incrementa Ecclesiarum per Vindeliciam, & Bojovariam.*
4. *Episcopatus à S. Bonifacio erecti per Franconiam, Hassiam, & Thuringiam.*
5. *Episcopatum per Saxoniam origo.*
6. *Carolus M. Episcopos nominavit, dotavit, non vi juris Majestatici instituit.*
7. *Sub eodem Imperatore Episcopi cœperunt Sacerdotio conjungere Dominationem Politicam.*
8. *Sub Ludovico Pio plures Præsulum, in ordinem Principum cooptati sunt.*
9. *Ab Ottone M. multis ditionibus augebantur.*
10. *Successores quoque Cæsares Episcopos Principali dignitate ornare studuerunt.*

I. **Q**ui Solem Diei Parentem considerant, tribus
 spatiis ejus beneficium, ac illatam orbi lucem
 N n
 distin-

ECCLESTIA-
 RUM GER-
 MANICA-

RUM INI-
TIA IN
TRIBUS
PRIMIS
SÆCULIS.

distinguunt; cum enim infra Horizontem adhuc latitat, lumine eminens ostenso obscurius diluculum facit: dein propius assurgens jucundiores Auroræ radios communicat: demum interposito quodam intervallo in plenam diem sua incrementa deducit. His propè, & iisdem gradibus Germaniæ à Fide Divinâ per Apostolicos Præsules collustratæ initia, ortum, ac progressum discernamus necesse est. Illuxerat Apostolicæ Sedis beneficio fidei quidam splendor Germaniæ nostræ, quando S. Crescens Rheni accolæ (a), Trevirenses S. Eucharius, Ubios, Tungros S. Maternus (*), Bifantinos S. Linus, Constantienses S. Beatus, Tridentinos S. Jovinus (b) dogmatis Christianis primùm imbuere cœperunt. In sæculo quoque secundo, ac tertio obscuriora Ecclesiarum primordia fuerunt, cum per Noricum, Rhætiā, ac Vindeliā (c) conversioni gentium incumberet S. Eleutherius: per agrum Laureacensem, Passaviensem, Imbriopolitanum, sive Ratisbonensem, veræ fidei lucem circumferret S. Maximilianus (d); sed spissior adhuc erat ethnica superstitionis caligo, quàm ut tenebræ per Præsules sanctos velut nova sidera discuterentur.

II. A Constantini Magni ad Christiana sacra ducti ætate majora tum fides, tum Ecclesiæ captarunt incrementa, propterea quòd cessante persecutionum æstu publicam in Imperio libertatem nancisceretur Christiana Religio: itaque Vindelicii (e) dogmata

(a) Baron.
ad A. 109. n.
42.

(b) Ad Ann.
78.

(c) Ad Ann.
100.

(d) Ad Ann.
268. in Hist.
Frising.
Tom. 2. di-
sp. 2.

ECCLESIA-
RUM IN-
CREMEN-
TA à CON-
STANTI-
NO AD
SÆC. VIII.

(e) In Sæc.
IV. circa, A.
303.

(*) Maternus hic vulgò dicitur fuisse discipulus S. Petri, idemque filius viduæ, Nāimi à CHRISTO suscitatus, Treviris mortuus, post 40. dies rursus resuscitatus. attactu baculi S. Petri, ultimò mortuus an. 118. ætatis 115. MASCOVIUS hujus prædicationem in posteriora tempora rejicit, ut supra diximus in c. præced. Sect. 2. fortè duo fuerint ejusdem nominis.

gmata divina avidius exceperunt tunc à S. Narcisso, Augustani à S. Dionysio (f), Laureacum à S. Quiri-
 no (g), Brixinum à S. Cassiano (h), Tridentum à S. Vigilio (i), Argentina à S. Amando (k), Spira à S. Jessio (l). Sub Sæculi quinti auspicia S. Valentinus Passavii confinia, & S. Severinus Austriacos, Styrios, Carinthios, Bojos, & Salisburgenses feliciter lustravit (*). Paulinus, & S. Lupus Ratisbonensis Ecclesiæ destructa fundamenta restaurarunt (m). Post hos Apostolicos sudores illustriora augmenta fidei accepit Germania in sæculo VII. dum S. Sotymus Noricos in errorum suorum tenebras relapsos ad saniora reduceret (n), S. Schvvibertus Hollandis cœlestis doctrinæ lumen accenderet, S. Kilianus in Francia Orientali (o) novellam Ecclesiam meditaretur (**).

III. Quæ aurora fidei in anterioribus temporum periodis videri poterat, ea in diei plenitudinem circa sæculum octavum crescere incepit; præterquam enim, quod in Passaviensi Ecclesia fecundiorum messum jam colligeret Vivilo, inter Bojos & Suevos S. Corbinianus, inter Westphalos, & Frisones Wilibrordus, apud Moravos, & Bohemos Methodius; plures eodem tempore S. Bonifacius ad id supremi officii genus ab Apostolica Sede delegatus, sacras fundavit, & distinxit colonias, quæis jam non promiscuè Pastores, ac regionarii Episcopi, sed statim Pastores, ac Præsules præessent. Bojoariam in quatuor dioceses

N n 2

parti-

(*) In Martyrolog. Rom. ad VI. Idus Januariæ habetur: *Apud Noricos S. Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium predicavit, & Noricorum Apostolus dictus est.*

(**) De his Episcopatibus passim tractant THOMASSINUS P. I. lib. I. c. 54. de Franconicæ Ecclesiæ initiis latius scribit SERARIUS in Tractatu de S. Kiliano.

partitus est, quæis totidem Episcopos dedit, scilicet Viviloni nuper à S. Gregorio II. Passaviensibus præposito fines definivit, Frisingensi Ecclesiæ Erimbertum præfecit, Imbripoli Gaubaldum, & Salisburgensi Episcopo Joannem imposuit (*). Hoc Ecclesiarum ordine constituto Eichstettensibus de Antistite Wilibaldo provisum est (p).

(p) Meichelbeck. I. c. ad A. 746. EPISCO-PATUS FUNDATI PER FRANCONIAM, HASSIAM, THURINGIAM.

(q) Moguntiac. rerum lib. 3. m. p. 502.

IV. Quemadmodum verò Bonifacius à Summa Sede curam demandatam acceperat, ita plures in regiones Teutonum ejusdem sollicitudo se divisit: in Francia proinde Orientali eidem suum primum Episcopum debebat Herbipolis Burckhardum (**). Hassia ejusdem quoque zelum experiebatur: nam, ut habet MS. apud Serarium (q), in oppido Buraburg juxta Frising. *Sedi Episcopali post suum recessum ordinat Episcopum Albuinum discipulum suum Hiberniensem, Monasterii urbis Monachum, cujus festum agitur 7. Kalendaras Novembris.* Et quia idem Albinus ipsi S. Bonifacio superstes fuit, eapropter ab Lupo ibidem B. Lulli Suffraganeus dicitur (**). Albuino alter

(*) MEICHELBECK Tom. 1. Frising. Hist. literas recitat Gregorii II., ubi hæc habentur: *cum consensu Utilonis Ducis, eorundem Bajoariorum, seu optimatum Provincia illius, tres ordinasset Episcopos, & ita quatuor partes illam divisisti, bene & satis prudenter peregristi frater, quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra implevisti, & sicut tibi præcipimus, ita egisti.*

(**) SERARIUS in Vita Bonifacii Lib. 3. not. 24. scribit, varios viros ex Anglia à S. Bonifacio in suppetias vocatos fuisse, inter quos fuit S. Burchardus Episcopus I. Wirceburgensis, de quo plura dictus author scripsit in vita S. Kiliani nota 22. S. Burchardi res gestas duobus libris complexus est Egvaldus, & Anonymus apud H. CANISIUM Tom. 4. pag. 651.

(***) Paderbornensi Episcopatu erecto A. 794. Buraburgensis desit, vel in illum potius coaluit; hujus tamen Episcopatus reliquæ quædam extant Frideslaræ; nam Canonici in lignis Ecclesiæ ad S. Petrum multa

ter Episcopus successit Mengottus, ut MS. p. 78. apud Serarium denuò testatur, cui & Lupus c. 5. adstipulatur, dum ait: *Fritzlariæ cum Megingo suo, qui postea culmen Episcopale subiit, diu conversatus est Wigbertus* (*). Serarius existimat meritò, hunc Megingum eundem fuisse, qui S. Burchardo Wirceburgi successit *Megingaudus*; nam & in monumentis Wirceburgensibus ubique notatur, Megingaudum secundum à S. Burchardo Præsulem in Frideslariensi Monasterio primum vitæ Ecclesiasticæ Tyrocinium posuisse (**). Tertium Episcopatum S. Bonifacius crexit in Thuringia Erphesfordiæ (r), sive ut hodie dicitur, Erfordiæ (***). Hos tres Episcopatus literis suis ad Zachariam Pontificem datis petiit velut speciales Germanicarum Ecclesiarum à se fundatarum Sedes confirmari Verba Germanorum Apostoli apud Thomassinum recitantur (s): *Hæc tria loca propriâ autoritate, & chartâ Apostolatus vestri roborari, ac confirmari postulamus, ut per auctoritatem, & præceptum S. Petri iussionibus Apostolicis fundatæ, ac stabilitæ sint tres Episcopales in Germania Sedes &c.*

(r) Surius
lib. 2. c. 2. &
& in MS.
Serarii.

(s) Vide &
literas apud
Serarium
lib. 3. c. 2.

N n 3

V. Sa-

multa Privilegia sibi antiquo jure vindicant, quæ Cathedralibus Ecclesiis aliâs propria sunt: Pileolo cæruleo utuntur in choro, suntque de nobili, aut Patritiorum prosapia. In Castro Wiraburg extat etiam S. Bonifacii Sacellum, quod à Frideslariensibus magnâ devotione colitur, curaturque à speciali Parocho ad id constituto.

(*) Wigberti sacre reliquæ extant in elatiore tumulo ex solido lapide in Crypta Frideslariensi.

(**) De Megingaudo passim ejusmodi testimonia proferunt MSS. Wirceburgensia. Frideslariensium documenta hæc super re expectamus, ut aliquando in majore volumine luci dari possint.

(***) Erfordia olim Erpsesfurth, quæ fuit, ut apud Serarium ait S. Bonifacius, *urbis Paganorum rusticorum*, Hodie est Thuringiæ caput, quâ ratione ex obscuris initiis in tantum splendorem adaucta sit, vide SERARIUM in vita Bonifacii not. 29, fol. m, 503.

EPISCOPA-
TUS PER
SAXONI-
AM.

(t) Ad Ann.
785.

(u) In Doctr.
discipl. Eccl.
Tom 3. lib.
36. n. 37.

(x) Baron.
ad ann. 971.
n. 11.
AN CARO-
LUS EPI-
SCOPOS
INSTITUE-
RIT.

V. Saxonia eodem Sæculo ut complurium Episcoporum originem videret, operâ Caroli Magni effectum est; everfis quippe idolis, & Witechindo (t), præcipuisque Regulorum ad Christi sacra transeuntibus, Episcopatus octonos his in regionibus institui fecit, quò plantata religio firmiùs persisteret; quæ nomina horum Episcopatuum sint, nobis descripsit Du Mesnilius (u): scilicet Osnabrugensem tunc erectum esse, ait; Selingstadiensem (cui hodie ab Halberstadio nomen est) Bremensem, Verdensensem, Mindensem, Mimigardevordiensensem (qui hodie Monasteriensis) Paderbornensem, Alicensem (qui dein Hildesimensis); quibus accessere Hochbuchensis (sive Hamburgensis), & Schilderensis, inchoati à Carolo: quorum dein alterum Ludovicus filius, alterum, dum Magdeburgum transferretur, Otto M. absolvit (x).

VI. Tanta cum Carolus M. pro Ecclesiarum ordine, ac disciplinâ egerit, non defuere grati animi, qui ei Apostoli nomen adjecerunt; ut qui gentes, quasunque armis subegisset, Christo etiam subiectos voluerit per viros ac Præsules, sanctimoniâ, doctrinâque illustres: illorum è diverso errorem hîc approbare non possumus qui statuunt Carolum Magnum ipsorum aded Episcoporum vi juris Majestatici Institutorem fuisse. Ne sine causâ à verò deflectere videantur; Concilium quoddam Romanum proferunt ab Hadriano P. celebratum, cujus documenta, & sanctionem, nescimus quâ ex scriniis, eruit Ricobaldus Ferrariensis in Hist. Rom. Pontif. Verba autem hæc sunt: *Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere definivit, & ut, nisi à Rege laudetur, & investitur,*

tur, Episcopus à nemine consecratur; & quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit; & nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit. Idem habet Gratianus Dist. 63. c. Hadrianus. Concilium ejusmodi inter insignia commenta quis non recenseat? cùm notio investituræ, antiquis illis temporibus, de qua hic sermo est, omnino ignota fuerit (y): accedit, quod Hadrianus in Epistola VII. sive octogesima quinta Codicis Carolini, Carolo si-
 gnificet circa annum 781.; se fecisse ordinationes Episcoporum Regni Longobardici, post Cleri, & popularis electionis decretum ad se missum (*): itaque octennio antè nempe anno 774., quo Concilium illud celebratum fingitur, investituram Episcoporum Carolo non concesserat, quorum electionem, & Confirmationem constanter Clero, & populo, & sibi reservabat. Jure tamen nominandi Episcopos tum in Francia, tum in Germania Carolum usum fuisse, non negamus; cùm enim ejusmodi Privilegium Pippino Majori Domûs à Zacharia Pontifice concessum fuisset, illud in Carolum aliquâ ratione propagatum videbatur. Concessionis in Concilio Sueffionensi Anno 744. factæ meminit Lupus in Epistola 81. ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem: Pippinus . . . expositâ necessitate hujus Regni (Francici) Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industriâ sibi probatissimorum decedentibus Episcopis medere-

(y) Natalis
 Alexander
 Hist. Eccl.
 Sæc. 8. c. 1.

(*) Antequam ordinentur, scribit HADRIANUS epist. cit. Olitanam (antiquam) consuetudinem proclamari: Clerus & plebs consistens civitatis illius elegerunt sibi Episcopum illum . . . & si (Episcopus) in eorum decretis, & Apostolica ordinationis scriptis statuitur, debere etiam in eam parochiam suam seu diocesim,

deretur; ne fortè simplicitate Pontificum possit contingere, quod in hac Eduorum urbe evenit: non itaque jure proprio Reges Francici præficere Ecclesiis Episcopos poterant (ut hodie nonnulli pugnant) sed solum ex indulto Apostolico, ne nimirum à Pontifice (cui plerumque ignoti erant Episcopatum Candidati) indigni, aut minùs apti promoverentur: atque ut clarissimo Caroli M. testimonio rem comprobemus; en illud ipsum, quod protulit Imperator in præcepto de Institutione Episcopatum per Saxoniam, dum ait: *Summi Pontificis Hadriani præcepto, nec non Moguntinensis Episcopi Lullonis, omniumque, qui adfuere, Pontificum consilio, Bremensem Ecclesiam Willebaldo commissimus.* Eadem autoritate delegatâ Ludovicus Pius dein Hanburgensem Archiepiscopatum erexit, cui præfecit Anscharium Septentrionalium regionum Apostolum, sed habito Sacerdotum generali Concilio, & roborante Papâ Gregorio IV. Apostolica autoritate & Pallii donatione (z).

(z) Adamus
Bremenensis lib.

I. C. 14.
CONJUN-
CTIO
PRINCIPA-
TUS SACRI
& POLITICI.

VII. Dispositi per Germaniam Episcopi hoc singulare præ cæteris regnorum Præsulibus habent, quod summâ Principum, ac Ducum dignitate, aliisque maximis Optimatum muneribus fulgeant, adeoque Imperium felice, ac glorioso vinculo cum Sacerdotio jungant: quibus autem ex initiis Episcopi Germaniæ in tantum fastigium evaserint, altiore cogitatu hîc revolvendum est: Teutonicam gentem, cum adhuc ethnicis superstitionibus addicta esset, suorum Poparum semper observantissimam fuisse, horum ex nutu & belli, & pacis consilia transegisse, dudum nobis testatus est Tacitus de moribus Germanorum (aa), quæ reverentia majori pietati mixta postea

(aa) c. 7. &
II. apud
Bilderbeck.
P. V. Sect. 1.
c. 1.

postea ab iisdem Germanis exhibita est Episcopis, ex quo tempore ab iis fidei dogmata imbibebant. Quare in ævo Carolingensium, cum excisâ undequaque Idolomaniâ, per partes Germaniæ Religio Christiana vigeret; ad pleraque publica munia (demptâ militiâ) potissimum Ecclesiastici viri (qui tunc ferè soli doctrinâ eminebant) adhibebantur: ex his Imperialis Aulæ Magistri, seu Archi-Cancellarii: ex his Capellani, seu Cancellarii, vel Notarii, ex his Missi, seu in Provincias ad tuendam justitiam legati: ex his consiliorum Cæsareorum arbitri, ac demum filiorum in gubernandis regnis adjutores, & magistri constituebantur: ita Pipino Carolo filio, cum ad Italiam gubernandam mitteretur, adjunctus est Adalardus (*); sic Bernardo nepoti suo Carolus Walam utpote adiutorem associavit (**). Eosdem Episcopos Imperator omnes circuire regnum jubebat, ut jus ab inferioribus fortè Magistratibus violatum vindicarent (**). Amplior

O o

autho-

(*) GERARDUS Monachus in vita Adalardi apud Mabill. Sæc. 6. Benedict. P. 1. ut Pipino Juniori ad regendum magistraret, & ad stateram justitiæ regnum Italia informaret, idem testatur PASCHASIUS RAPTERTUS in V. Adalardi.

(**) EGINHARD. scribit: Bernardum filium Pippini, nepotem suum in Italiam misit; & propter famam classis, quæ de Africa, & de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walamem filium Bernardi Patruelis sui cum illo esse iussit.

(***) ANNALES LAMBECIANI ad annum 802. Recordatus (Carolus) misericordis suæ de Pauperibus, qui in regno suo erant, & justitias suas plene habere non poterant, noluit de infra palatio pauperiores Wessos suos transmittere ad justitias faciendum propter munera; sed elegit in regno suo Archiepiscopos, & reliquos Episcopos, & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui opus jam non habebant super innocentes munera accipere, & ipsos misit per universum regnum suum, ut Ecclesiis, viduis, & Orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiæ facerent.

authoritas supremis ejusmodi Pastoribus data est, quando lege publicâ sanxit Carolus, ut causæ quælibet à quovis judice civili ad Ecclesiasticum forum Episcopi avocari possent: ut liceret à sententia laici judicis ad Episcopum provocare (*). Per has dignissimas functiones Pares Curiae, & in partem sollicitudinis assumpti ab Imperatore habebantur (bb). In publicis comitiis proximi post Regem sua ferebant suffragia, & sub complexu verbi Principum regni comprehendebantur (cc). Prærogativis accesserunt Regalia, de quæis Crantzius (dd): *idem quoque Rex (Carolus M.) postquam fundavit Ecclesias donans Regalia Pontificibus, quod intelligeret populum infranem posse Religionem contineri.* Et ne quis Regalium nomine bonorum, ac prædiorum usum, non verò juris dicundi potestatem intelligat à Carolo Præsulibus concessam esse, una Ecclesia Osnabrugensis nobis exemplo sit; unde ad alias par consecutio fieri possit. Instrumentum Caroli datum anno tertio Imperii, Regni in Francia

(bb) Matthias Kautius in Theob. lib. impr. de jurisd. Eccl. & Sæc. Anno 1662.

(cc) Daniel Heider in act. Lindav. apud Bilderbeck. l. c.

(dd) Lib. 2. Saxoniae c. 24.

(*) Extat statutum Caroli Lib. 6. Capitularium capitulo 281. ad omnes subiectos Imperio populos extensum, & lege cunctis perpetuâ tenendum, in quo legem Theodosii Imp. adducit, & confirmat, & imitatur exemplum: *Volumus atque precipimus . . . Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curculis, sive cum negotium peroratur, sive cum inceperit promi sententia: si judicium elegerit sacrosancta legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur.* Multa enim, qua in judicio capiosa prescriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, & promi sacrosancta Religionis autoritas: omnes itaque causa qua vel Prætoris jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminata perpetuo stabilitatis jure firmenter. Nec liceat ulterius tractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit . . . Testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibuit omnes judices indubitanter accipiant . . . illud enim est veritatis auctoritate firmatum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibata protulerit &c.

cia trigesimo quinto, in Italia trigesimo XIV. Cal. Jan. eidem Ecclesiæ facultatem & jus tribuit anno 802. In omnes utriusque sexûs homines ad Ecclesiam pertinentes, servos, litones, & liberos . . . ita ut nullus iudex publicus, Dux, Comes, Vicecomes, Schultetus, Missusve Dominicus, ibi vel placita celebraret, vel freda, & multas exigeret: Majus est inter Regalia, quod idem Crantzii Episcopis à Carolo communicatum perhibet (ee), scilicet gladii usus, quo contumaces & terrent, & distringerent: quo privilegio etsi omnes Antistites ab Imperatore donatos esse affirmare nolumus; illud tamen non benè in controversiam vertitur: an Wirceburgenses Episcopi hæc altiora jura sibi jam ab istis temporibus vindicare valeant? nam præter argumenta illa graviora, quæ pro Ducatu Franconico in Burchardum Wirceburgensem Episcopum translato pugnant, quæque in *tertia sectione hujus capituli* num. XIX. à nobis afferentur, unicus, & antiquissimus ille versiculus medium ævum omnino sapit, qui posteris nobis edicit, quod huic Episcopatu concessum fuerat: *Herbipolis sola judicat ense, stola.*

(ee) Præfat.
in Metrop.

VIII. Quantis augmentis honorum, ac dignitatum Episcopi sub Ludovico Pio condecorati fuerint, ex Helmoldo intelligere licet (ff): Ludovicus ait, *pateris per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua Pater ejus, erga cultum Domûs Dei, & omnem Clerum usus est, amplissimas regni divitias ad decorem, & gloriam Ecclesiæ intorquens, in tantum ut Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret Regni.* Conantur equidem Adversarii quidam ex Ludovici Pii Constitutione eruere, Imperatorem hunc nil Episcopis nisi

EPISCOPO-
RUM PRIN-
CIPATUS
POLITICUS
SUB LUDO-
VICO IMP.
(ff) In Chro-
nico Sclavo-
rum Lib. I.
c. 4.

sacra demandata voluisse, sed irritò labore : Sancti-
onem , ut res pateat, ex Ansegisi Abbatis libro secun-
do proferamus , jubet nimirum Cæsar, *ut comites ju-
stitiam diligant, & faciant : Episcopi religiosè converfen-
tur, & prædicent.* Sed quid inde conficies ? num enim
Ludovicus Præsules illis officiis exuisset, quæ ante Ca-
rolum M. jam functi non sinè emolumento reipu-
blicæ fuerant : ità Cunibertus Coloniensis Episcopus
diu ante Caroli tempora pro Sigeberto Rege puero
Regnum Austrasiæ cum Adagisilo Duce primùm,
dein cum Pipino Landensi administravit : S. Huber-
tus Leodiensis Episcopus sub Carolo Martello exer-
cuit *jurisdictionem Laicam*, ut testatur Joannes Ro-
bertus in Paralipomenis ad vitam pag. 164. idem de
Moguntinis, & Trevirensibus docet Serarius, & Bro-
vverus. Quæ dein munera Præsulibus Carolus M.
Ludovici Pater commiserit, superiùs commemora-
vimus ; ab his autem officiis Episcopos ecquâ ratio-
ne amovisset Imperator is, qui ab Episcoporum re-
ligione, sapientiâ totam republicæ salutem pendere
non semel afferebat ? quique vel eâ de causa eosdem
summis dignitatibus ornare, atque omnibus optima-
tibus antehabere non cessabat : Religionis curam iis
proinde hâc lege commendavit, ut pascere Gregem
primus ; curare rempublicam, eandemque fulcire
consilio, ac sapientissimâ gubernatione secundus eo-
rum labor esset : qui uterque quàm benè, quàmque
conveniente vinculo jungatur, in ultimo hujus
operis capite ostendemus. Episcopis in seriem
Principum annumeratis duplex quoque ordo sub-
inde extitit in electorali Collegio, ut tres Ar-
chiepiscopi cum cæteris electoribus Imperii caput
designa-

designarent (gg) : id quippe mediis istis sæculis per-
suasum fuerat, in portu demum consistere Impe-
rium ; si ex togata, & armata militia Senatus secre-
tior constaret (hh), aut Sacerdotum interuentu ne-
gotia feliciore omine expedirentur ; aut demum si
potestas Ecclesiastica Politicæ conjuncta contumaces
magis terreret, ac distringeret (ii).

IX. Imperio ad Ottonem M. devoluto, Ditiones
novæ, ac prædia numerosa, sive per liberalissimam
huius Cæsaris munificentiam, sive emptionis jure
comparata Ecclesias amplificârunt (kk) : quæis præ-
fidiis muniri Principatus Episcoporum, ac con-
firmari coepit. Lehmannus verbis ex Theodori-
co Niemo (ll) desumptis suffragatur : *Otto I. pe-
nè omnibus Ecclesiis Cathedralibus in Italia, Gallia,
Germania, Burgundia, & Lotharingia constitutis,
multas civitates, castra, oppida, villas, & multa alia
Dominia temporalia, & jurisdictiones donavit, & omni-
bus illis Ecclesiis propria insignia perpetuò deputavit ;
Archiepiscopos quoque, & Episcopos Ducatibus, & Comi-
tatibus, & Baroniis communiuit, quibus nobiles & po-
tentes Vasallos subiecit ; & generaliter in morem abiit, ut
Ecclesiastici Principes etiam seculari administrationi præ-
ficerentur.* Pfeffingerus de eodem Ottone ex vetu-
stissimo libro Florentino refert (mm), quòd etiam
Colonensem, nec non Moguntinensem, Trevirensensem, ac
Leodiensem, venerandas Metropoles, & plures alias Ec-
clesias Alemanniæ ad instar magnorum Principatuum in
bonis temporalibus dilatarit. Idem Author ex Lam-
becio, & Adamo Bremensi confirmat, Adalhago Ar-
chiepiscopo Bremensi Bremam, Spirensi Spiram,
Mindensi Mindam, cum mero & mixto Imperio, om-
nibûsque fisci Imperatorii Juribus ab eodem Impera-

(gg) Vitria-
rius Instit. 1.
P. 1. Tit. 13.
§. 5. Ber-
tram de co-
mit. Imp.
Rom. Germ.
Thesi 24.

(hh) Char-
delius in Di-
scursu de
primis l. R.
Princ. sect. 5.
Aphor. 4.

(ii) Vitria-
rius l. c. lib.
1. tit. 16. n. 7.
OTTONIS
MUNIFI-
CENTIA IN
EPISCO-
POS.

(kk) Sta-
densis in
Chronico ad
A. 1052.

(ll) In Chro-
nic. Spirensi
c. 39.

(mm) Lib.
1. Tit. 15.
fol. 1141.

tore Ottone fuisse donatam. His piis largitionibus dum in alios, & veluti exteros beneficus fuerat, fratris quoque sui Brunonis non immemor fuit; huic enim Episcopo Coloniensi primum Ducis Lotharingici titulum, cum iudicio gladii temporalis, ut loquitur Vitriarius (nn), atque regimine baculi pastoralis indulgit. Ab his in Ecclesiam studiis non absuit Otto III. qui Episcopo Vercellensi, ac Passaviensi (oo), Otgero Præsuli Spirensi (pp) varias ditiones adjecit.

(nn) Struv. in Syntag. Juris Publ. c. 18. Vitriar. lib. 1. Tit. 15. n. 5.
(oo) Baron. ad A. 999.
(pp) Gevvol-
dus in Me-
trop. Salis-
burgensi.
BENEFICIA
RELIQUO-
RUM IM-
PERATO-
RUM IN
EPISCOPOS.

X. Intra gloriosam Ottonum progeniem adeo Imperatorum pietas non stetit, ut & in alios propagata sit; neque enim iis, qui Annales lustrarunt, obscurum est, Quid Henricus II. Burckardo Wormatiensi, quid Paderbornensi Episcopo, ac præcipue Bambergensi tribuerit? Quidve Fridericus I. contulerit in amplitudinem Ecclesiarum Coloniensis, Monasteriensis, Curiensis . . . Sed quoniam hæc beneficia ad singulorum Episcopatum historias pertinent, non abs re erit, separatâ sectione pertractare, quæis auspiciis Sedes quævis Episcopales per Germaniam natæ, auctæ, ac consecratæ sint: ne tamen Proëdriæ litem hîc moveamus; consultius erit ex ordine literarum Episcopatus proponere.

